Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioannis Ionstoni|| Theatrvm|| Vniversale|| De Avibvs

Jonston, Jan

Heilbrunna, MDCCLVI.

VD18 90528921

Titvlvs VI. De Coruino Genere et Aliis Nonnullis Auibus, Quibus Rostrum Durum ac Robustum est.

urn:nbn:de:gbv:45:1-11068

Visual Library

sonstabat, sunt rubri coloris, corpus reliquum uiridis.

His adde *psittacum erythrocyanum* nec non *erythroxanthum* Gesneri, quorum *ille* parte supina rubet, alis superius in flauo uiridibus, caetero caeruleis, cauda partim rubra, partim caerulea, *hic* illi per omnia simillimus, in hoc tantum discrepat, quod per medium alarum plurimum flauioris coloris habeat, nonnihil etiam in cauda.

Huc etiam Aldrouandus auem illam, quae in Hispania capta magnitudine erat fringillae, rostro nigro, adunco, capite, collo uiridi, uertice, ut in garrulo Bohemico crista insignito, alis caeruleis extremo nigricantibus, uropygio ferrugineo, femoribus albis, pedibus nigris, digitis quaternis, binis ante, retro totidem refert.

TITVLVS. VI.

De Coruino Genere et Aliis Nonnullis Auibus, Quibus Rostrum Durum ac Robustum est.

CAPVT PRIMVM.

De Coruo.

Descriptio.

Coruus Graecis seu a colore nigro seu a capitis magnitudine κόραξ. L. Floro *a* satyra auis seu propter salacitatem. Virile enim membrum ueteres Graeci σαῦη appellabant seu a Satyra *b* palude, quae et Pomptina, uiginti quatuor olim urbium capace loco dicitur. Locus ipsi post psittacos uel eam ob causam datur, quod et ad rapacium naturam accedat et olim apud ueteres in tanto pretio fuerit, ut per *c* illum iurarent. Magnitudine cornicem superat et adeo est ater, ut prae nimia nigredine caeruleus quodammodo adpareat nec ab *d* aquis mutetur. *Rostrum* habet aterrimum, nonnihil aduncum utrisque marginibus incidens. *Oculos* lucidos. *Linguam* in apice latam, ad radicem rotundam, nigram. Visi tamen in septentrionalibus *e* regionibus, Anglia, Neapoli apud Alphonsum Siciliae Regem, Lestorum Indiae extra Gangem regione, quin et tempore *f* Aristotelis albi seu, quod ob aspectum niuium in niuosis locis tales nascantur seu, quod frigus id efficiat seu, quod alimento id attribuendum sit. *Interiora* eius si attendas, *gulam* patentiorem prope uentriculum pro ingluuie *g* habet. *Fel* renibus et *h* parte tantum altera intestino iungitur. *Excrementa* alba esse apud Horatium legimus. Cuidam uero apud Liuones et Botnios generi, quod *marinum* dicitur, rostrum dentium fere instar serratum, sed forte falso adscribitur.

a *In Histor. Valer. Coruini.*
b *Rhodig. Antiq. lect. l. 29. c. 25.*
c *Aristoph. in Auibus.*
d *Scalig. ad l. 2. de caus. plant. c. 17.*
e *Olaus Magn. l. 19. c. 8.*
f *l. 5. de gener. c. 5.*
g *Arist. H. A. l. 2. c. ult.*
h *Arist. H. N. l. 2. c. 15.*

Locus.

Quantum ad *locum*, in Asia non nasci Theophrastus *i* prodidit. Locis *k* desolatis, *l* humidis, excultis, turribus, celsis aedificiis morari nec ea, dummodo cibus suppetat, deserere, in agris uberrimis gregatim ferri et eius frequenti suo numero bonitatem, quam innata sagacitate cognoscunt, prodere compertum. Binos *m* per sterilem et infructuosum campum nec non arctiora loca uolare, quod non satis *n* cibi pluribus, unde in Cranone Thessaliae oppido nunquam plures duobus reperiri a quibusdam notatum. In Galliae oppido, quod Coruatum dicitur, annos plus, quam centum egisse Albertus nescio, qua fide refert.

i *Plin. H. N. l. 10. c. 29.*
k *Esa. c. 34.*
l *Theon. in Aratum.*
m *Ael. l. 2. de Anim. c. 48.*
n *Arist. H. A. l. 9. c. 31*

Nutrimentum.

Victitat coruus frumento, pomis, o ficubus, cerasis, quae cum pediculis deglutit et, dum binis *p* e pastu horis pulpam reiicit, ossa euomere solet nec non uermibus, hinc aratoris uestigia rodit, piscibus, unde apud Anglos *q* lege sub graui mulcta cautum, ne quis uim coruis inferat, cadaueribus, quae si non attingit, infecta esse coniiciuntur. Quin nec a uiuis animalculis abstinet. Alaudam et passerem deuorasse uisus est, pullos uero alimonia destitutos parentem ipsum inuadere et deuorare † Aelianus auctor est.

o *Athen. l. 13.*
p *Aldrou. Ornithol. l. 12. c. 1.*
q *Bellon. l. 6. de Anib. c. 1.*
r *Plin. H. N. l. 10. c. 47.*
† *l. 3. de Anim. c. 43.*

In Bothnia non tantum lepores et cuniculos interimunt, sed agnorum etiam et arietum stragem edunt. Constitutum e publico praemium, qui eos occidissent. *Potus* est uehementer adpetens. Tradendum putauere memoriae quidam, uisum coruum per sitim lapides congerentem in situlam monumenti, in qua pluuiae aqua durabat, sed quae attingi non posset, ita descendere pauentem expressisse tali congerie, quantum potaturo sufficeret. Aestiuo *s* tamen tempore sexagenis diebus, dum ficus matureſcunt, non bibit seu, quod, nisi Hyginus fallit, guttur pertusum, dum ficus matureſcunt, habeat seu, quod eo tempore relaxatione alui se laborare sciat.

s *Ael. l. 1. de Anim.*

Generatio. † *Plin. l. 10. c. 12.*

Generationem quod attinet. Ore coire † uulgus prodidit, inde fellatorum ipsis nomen, sed falso. Nam et uuluas habent et oua iuxta septum nec cogitare, *t* quomodo semen per uentriculum, qui semper, quod iniectum est, concoquit, perueniat, absurdum est et uisi duo Auicennae, qui aliorum congrediebantur more. Rostrorum fit inter eos ante coitum coniunctio seu, ut alii, cantu prius quodam uelut hymenaeo *u* demulcentur foeminae, tum mares admittunt, hinc exorta fabella. Ponit bina, saepe quaterna aut quina *oua*, post uiginti dierum incubatum *pulli* excludun-

t *Arist. l. 3. de gen. Anim. c. 6.*

u *Oppian. l. 1. de Aucupio.*

tur. Excluſi forte, quod *x* color ipsis sit albicantior, negliguntur a parentibus et ad septimum diem, quo atrocem induunt seu coelesti rore, ut Cassiodorus credit, seu a muscis praeteruolantibus aluntur. Agniti recipiuntur in curam, donec firmiores euaserint, mox pulsi, quae sunt ad uiuendum necessaria, inquirunt. Circa Cranonem tamen singula perpetuo paria degere et genitores soboli loco cedere Plinius asserit. Aetatem eis longaeuam *a* Hesiodus tribuit, fabulose, si γενεὰν pro centum sumas annis, uerisimiliter, si pro uno, intra quem et omnia, quae terra profert, perficiuntur et ipse homo in utero, sic longaeuitas intra CVIII. annos consistet. *Vox* eidem minime sonora, quamuis can-

x *Greg. M. Moral. l. 30. c. 8.*

z *Plin. H. N. l. 7. c. 48.*

a *Plin. H. N. l. 8. c. 48.*

tare Plautus *b* dixit, quia crocitat, raucedine et stridore aures offendens, hanc seu propter diuersos *c* effectus seu imbrium et *d* uentorum instantem incursum ita mutat, ut Fulgentius sexaginta quatuor diuersas habere dixerit. *Odoratu* cum uulture fere certat, in *uolatu* tardior et grauior est, ideo non mirum, aliquando populi clamore *e* dissono grauius ictum, ὥσπερ ἐμβρόντητον decidisse.

b *in Aulularia.*

c *Lucret. l. 4. de Natura rer.*

d *Virg. Georg. l. 1.*

e *Plut. in Flaminio.*

Mores et *ingenium* admirationem merentur. Ad trigesimum et quadrageſimum una uiuentes coniugii iura seruant, uno defuncto alter per uitae reliquum uiduus permanet. Nummos quidam *g* Erfordiae furabatur et sub lapide abscondebat. Alter Augustum ex *h* Actiaca uictoria reducem uerbis: Aue Caesar, Victor, Imperator, salutauit, uiginti millibus seu D. aureis solatis emtus. Quidam *i* sub Tiberio Principe singulis matutinis in rostra euolans in forum uersus Tiberium, deinde Germanicum et Drusum Caesares nominatim mox transeuntes P. R. salutabat. Occisi funus innumeris elatum est exequiis, interfectus, qui occiderat. Taceo illum sutoris Caesarem salutare edoctum, in quo opera et impensa periisset, nisi *k* operam et impensam periisse eloqui potuisset. Nec non illum, † qui Cunradum coquum in fame implorabat adeo expresse, ut ab homine uocatus crederetur. Difficillimum elementum optime exprimunt. Venatici (primum *l* Ludouicus Gallorum Rex instituit) perdices et coruos feros uenantur. Phasianos aliquando.

Ingenium. g *Albert. l. 23. de Animal.*

h *Macrob. l. 2. Satur. c. 2.*

i *Plin. H. N. l. 10. c. 43.*

k *Macrob. l. c.*

† *Scalig. Exerc. 237.*

l *Scalig.*

Amicitiam naturalem colit cum lauro, quem depasto chamaeleonte comedit, cum asaro et *m* aro, quibus remediis in quibusdam morbis utitur, cum facile amerina, qua tanquam amuleto nidum munit, cum coracio, qua uim *n* toxici degustati frangit, cum oenutta, qua se ad ebrietatem exhilarat.

Amicitia. m *Rueb. l. 1. de Natirp. c. 2.*

n *Arist. de Mirabilibus.*

Inimicitias autem gerit cum miluo et percnoptero propter cibum, cum aesalone propter ouorum fra-

Inimicitiae.


Cornix cinerea.
graw Kräe.
Cornix Cerula.
holtz Kräe.
Pica Indica
masc.
Cornix Frugilega.
Pica Indica
Femina.
Pica Caudata s. uaria.
Azelsaegerst.
Picæ glandariæ species alia.
Pica glandaria garrulus.
heger, herren vogel
Pica.
Hagerst
aglaster.
Pica marina.
nebelKräe.



Landesbibliothek Oldenburg

o Cicero l. 1. de Nat. Deorum. Arist. H.A. l. 9. c. 1.

fractionem chamaeleonte, circo, turture et aliis. Cum erucae *p* semine, quo interit.

p Ael. 6. de Animal. lib. c. 46. Praesagium.

Tempestatem plenam *praesagiunt*, si cum *q* singultu quodam diu multumque uespertino praesertim *r* crepusculo latrant et, si de arbore pendent, *s* alas saepenumero motitant.

q Plin. H. N. l. 18. c. 39.

Serenitatem, si contra solum hiantes mane per arborum ramos plumas et alas expandunt, si priuatim primo crocitantes mox turmatim congressi liberius uociferantur aut,

r Ael. l. 7. de Animal. lib. c. 7.

s Virg. Georg. 1.

si sub nocturnum crepusculum gregatim uersantur et, dum separantur, summe crociendo ad nidos aduolant.

Vsus eius in medicina aliquis est. Pulli mense Martio combusti contra epilepsiam propinati sunt. Oua ad denigrandos pilos adhibebantur, a Villanouano ad epilepsiam commendantur. Cor portatum uigilias inferre quidam asserunt. Pes a collo pueri tussientis suspensus eum, si Psello credimus, sanat.

Vsus.

CAPVT II.

De Cornice ingenere.

Descriptio.

Quae Latinis cornix, Graec. uulgo κορώνη, haec iisdem hodie κορώνια uel κόρακα. Polyrrhaeniis Cretae populis κόμβα, Varino κεραὶς, Horo κορὶ dicitur. Magnitudine uincit graculos. Rostrum, crura et totum corpus habet undiquaque nigerrima, (falsus † Strabo, dum peculiare esse Hispaniae, ut nigrae ibi sint cornices scribit) illud tamen durissimum alias et acutissimum prope caput albicat, superiori parte barbulas quasdam ueluti setas circa palpebras habet, inferiore nigra eaque minima ueluti granula. Albam capite nigricante, caeteris alarum apicibus in rubedinem uergentibus Rhodiginus *a* uidit.

† Strabo l. 3. Georg.

a Rhodig. Antiq. lection. l. 11 c. 11.

Versantur circa urbes, domos, maris ripas, fluminum litora et sterquilinia. In Britannia ingens ipsarum copia, quoniam in pabulo humido eius soli uermes abundant.

Locus.

Victitant frugibus, nucibus, oliuarum baccis, uermibus, piscibus et carnibus et uere *b* πάμφαγοι dicuntur.

Victus.

b Arist. H. A. l. 8. c. 3.

Generationem earum quod spectat. *Nidulantur* in summis arborum frondibus. *c* Non temere nec impudenter inter se miscentur et eandem cum coruis in coniugio fidem seruant, hinc solitariae cornicis occursus malum in nuptialibus auspiciis omen, eliminare cornicem uirgo iubebatur. *Oua* pariunt post solstitium gemina, natura ita dispensante, ut, *d* quae diu uiuunt, pauca procreent. *Incubant* foeminae tam impense, ut *e* assiduo in incubitu plumas exuant. Pullos a cauda de ouo exire seu pedibus primo praeuolutis falsum, caecos nasci *g* uerisimilius est. Non prius pasci, quam plumis uestiri incipiant, uulgo creditur. Volandi potentes *h* diu prosequuntur et auolantes sub inde comitantur, ideo iusta naturae talione et decreto, quantum *i* tempus impendere in foetibus educandis, tantum et ipsae senio confectae a pullis suis aluntur. Male a solstitio aestiuo *habent* seu, quod *k* scabie et lepra adficiantur seu, quod carnes a lupo semesas comedant. *Aetates* ipsi humanas ter tres *l* auctores tribuunt. Arato ἐννεάγηρα κορώνη dicitur forte, quod diu uiuat, πολυγήραν namque Theon exponit. Aristophani πέντε γενεὰς ἀνδρῶν ζώει, quinque generationes uirorum uiuit. *Vox* ipsius est κράζειν uel κρώζειν, ob assiduitatem obstreperi cantus garrula et loquax dicitur. Quamuis uero eas τανυγλώσσας Homerus *m* uocet, id est lingua longa et extensa, tamen tempore Plinii adlata *n* e Baetica plura contexta uerba exprimens et alia atque alia crebro addiscens.

c Aelian. de Animal. l. 3. c. 9.

d Aphrodis. l. 2.

Probl. 64.

e Isidor. Orig. l. 12. c. 7.

g Arist. l. 4. de Generat. c. 6.

h Arist. H. A. l. 6. c. 8.

i Isidor. l. 6.

k Porphyr. περὶ ἀπεχ.

l Plin. l. 7. c. 48.

m Odyss. e.

n. Plin. l. 10. c. 43.

Volatus.

Volat celeriter. *Graditur* lente instante pluuia, celeriter, dum pullos pascit.

Adfectus.

Amicitias colit cum ciconiis, quibus maria transuolantibus ducem se praebet et cum *o* ardeola, cum qua contra uulpem pugnat. *Inimica*

o Arist. H. A. l. 9. c. 1.

Plin. l. 10. *c.* 74. p *Aelian. de Anim. l.* 3. *c.* 9. *Ingenium.* q *Plin. H. N. l.* 10. *c.* 12. r *Zoroastr. in Geopon.*

est noctuae, *p* cuius oua meridie absumit, mustelae, quod ipsius nidos saepe diripiat et cum tympano aue, quam occidit. *Ingenium* earum et singularem solertiam multa ostendunt. Si nucem perfringere nequit, in altum sublatam ad saxa et tegulas *q* praecipitat. Verbenacam *r* supinam nidis imponit, ut ab iisdem blattas aliasque bestiolas abigat. Apud Marrem Aegyptiorum Regem educata literas, quocunque iuberet, detulit. Mortuae † sepulcrum ad lacum Myridis prope Crocodilorum urbem erectum est. † *Ael. H. A. l.* 6. *c.*

Quantum ad *usum*, cerebrum coctum et in cibo sumtum inueteratis capitis doloribus remedio esse *s* Plinius testatur. Carnem in morbis chronicis utiliter sumi et nidum corpori illitum uitae dies prolongare olim uane creditum est. *Vsus.* s *Plin. H. N. l.* 20. *c.* 6.

CAPVT III.

De Cornice in specie.

ARTICVLVS VNICVS.

De Cornice Frugiuora, Cinerea et Caerulea.

Descriptio.

Cornicis tres sunt species *frugiuora* nempe, *cinerea* et *caerulea*. *Frugiuoram* σπερμολόγον Aristoteles uocat, frugilegam et graniuoram alii. Nigra est tota, rostro excepto, quod albicat. Magnitudine est inter coruum et cornicem media.

Victus.

Victitat, ut diximus, frugibus nec tamen lumbricos respuit. Quia ardea in earum nidis *nidulari* solet, ideo circa uillas nobilium, qui ardearum aucupio delectantur, in summis arboribus impune nidos faciunt. Angliae sunt maxime infestae. Ideo olim sancitum est, ut funditus extinguerentur, pretium occisori daretur.

Cinerea Turnero marina dicitur. Minor est spermologo. Dorsum totum, collum superius, alarum latera, nates et totum uentrem cinerea habet. Aestiuo tempore altos montes *incolit*, in quibus soboli propagandae incumbere ex eo conligi potest, quod nullibi in planis nidulari reperiatur. Sub autumni finem ad plana descendit ibique totam post hyemem prope oppida et pagos degit. Fit id ob rupium asperitates et niues continuas uel ob intolerabilem frigoris saeuitiam. *Victus* ipsius idem, qui nigrae. Quadrupedum, hominum suspensorum cadauera et pisces adfectat nec a lacticiniis abstinet. Gesnerus in dissecto uentre quasdam quisquilias et cortices granorum nec non substantiam quandam albam, pinguem ex iisdem forte granis concretam et lapillos inuenit. Nunquam in Heluetia nidulari dicitur. In inferiore Germania in cibum a plebecula admittitur.

Caeruleam cornicibus, quamuis uix sciri potest, an ex earum sit numero, Gesnerus, Kentmannus et Aldrouandus adnumerarunt. Caeruleo pasim colore in capite, alis, cauda, circa uropygium et tota parte supina nitet, alibi sinceriore, alibi uiridi admixto. Dorsi et colli proni color fuscus est, maiores alarum pennae nigrae. Crura fusca et pro corporis proportione parua habet. Reperitur trans Albim in saltu Luchouiano et sylùis finitimis. Versatur in locis non frequentatis. A proiectis praeter caetera cadaueribus uictitat et nidum, ut upupa ex oleto, construit. *Aldrou. l.* 2. *Ornithol. c.* 5.

CAPVT IV.

De Graculis in genere et in specie.

a *Varro l.* 4. *de Lingua Latin.*

Graculus seu, quod *a* gregatim uolet, quae etymologia Quinctiliano *b* improbatur seu, quod iacta segetum semina plurimum gerat, b *l.* 1. *Inst. Or.*

fat seu, quod ex oliuetis cubitum sese recipiens binas baccas pedibus ore uero tertiam ferat, dicitur.

Victus. *Victitat* praeter segetes carnibus, *c Plin. H. N. l. 10. c. 29. Aelian. l. 3. de Animal. c. 12.* clandibus et *c* locustis. Vnde a Lemni insulae incolis, quod aduerso uolatu locustarum exitio occurrat, colitur.

Ad *coitum* uerno tempore excitatur.

Vox. Adfectus. Vox ipsius est κολοιᾶν καὶ κλώζειν, ut Pollux tradit, quorum istud et gallinaceo cuidam generi tribuitur.

d Aelian. l. 9. c. 1. *Amicitiam* cum *d* gauia gerit, hospitalitatem cum accipitre. Hoc Homerus sub Hectoris et Aeneae Graecis infensissimorum exemplo prodidit. Auem congregem esse uel uulgaris paroemia, semper graculus adsidet graculo ostendit. Mas mortem potius subit, quam coniugem derelinquat, *e* altero mortuo, alter dolorem perpetua uiduitate testatur. Loquacissimi sunt, coitus inprimis et, quo pullos enutriunt, tempore. In uini potu mira ipsis lasciuia. Manibus retenti oculos *f* impetere maxime solent seu, quod effigiem suam in illis cernentes uelut ad cognita desideria tendant seu, quod a rebus fulgentibus et mobilibus, quales oculi, facillime adliciantur. Cicures uoces pronuntiare discunt *g* adeo, ut e caueis emissi sponte sua eas repetant. Matutino uero suboriente sole tempore citius eas capiunt et memoriae tenacius mandant. Suetum id et ueteribus. Paxillos *h* enim in parietibus domi suae, quibus insisterent, faciebant. Epileptico *i* morbo obnoxii, uelut extincti ex arborum tectorumque culminibus decidunt. Annuum fastidium lauri purgant folio.

e Ael. l. 9.

f Nicolaus Leonicus.

g Brunier. l. 15. c. 78. de re cibaria.

h Aristophan. in uespis.

i Dalechamp. in Plin. l. 3. c. 22.

Vsus. *Vsus* ipsorum apud plurimos in cibis.

Generatio. k l. 9. H. A. c. 24. Quantum ad *genera*, tria *k* Aristoteles posuit, quartum palmipes, tria et Gesnerus, Tullam nempe Becuam et Taham. Nos *coraciam*, *pyrrhocoracem* et *lupum* seu *monedulam* ponimus.

CORACIA magnitudinem habet cornicis, illa inprimis, quae nigra et pamphaga. *Rostrum* quatuor fere digitos longum, quodammodo arcuatum, coloris punicei seu inter aurantium, rubrum et subflauum medii. *Pedes* eiusdem coloris, unguibus exceptis, qui simul cum toto corpore sunt nigerrimi. *Incolit* praeruptos montes et raro ad plana descendit. Cicur simila ex lacte, carne, pane et tritico uescitur.

PYRRHOCORAX cornice est minor, monedulae aequalis, luteis cruribus et *l* rostro, quod paruum Turnerus, in extremitate nonnihil aduncum Bellonius dixit, caetera nigerrimus. Tam *frequens* est in Alpibus, ut peculiarem Alpium Plinius scribat, sed et in Anglia, Creta, Cycladibus, monte *m* Iura et alibi reperitur. Apud Rhaetos hyeme duntaxat cernitur. Agros frumento consertos *de pascitur*. Altum uociferat et *uocem* merularum acutam ac ad fistulae sonum nonnihil accedentem imitatur. Ex eius uolatu alto frigus augeri, humili minui quidam conligunt. Pulli in cibum pauperioribus mensis cedunt.

l Plin. l. 10. H. N. c. 48.

m Bellon. l. 8. c. 6.

MONEDVLA Aristoteli λύκος omnibus nota auis est. Caput, pedes totumque corpus et rostrum nigra sunt. Nigredo de cinereo aliquid participat, *rostrum* circa narium foramina albicantibus punctulis insignitur, prope uentriculum *n* gulam pro ingluuie patentiorem habet. *Loca* plana amant, sed et in altissimis turribus saepe tam numerose nidificant, ut in unica centum interdum nidi conspiciantur. Quia frumenti aliorumque granorum, ubi satiata fuerit, reliquias terra recondit et spicas sub sequenti anno ex iis conligit, ideo frumentum *o* serendi rationem hominibus ostendisse creditur. Auri et argenti *p* furacitas in ea mira. Vnde monedula a moneta dicta creditur. Gaudet in capite fricari, quasi pruriret, ideo carnem eius pruritum inducere Albertus credidit.

n Arist. H. A. l. 9. c. 24.

o Plin. H. N. l. 14. c. 17.

p Ouid. l. 7. Met.

Est et aliud monedulae genus, quod collum habet albo torque circumda-

dutum, forte illud, quod Hesychius et Phauorinus στέφανον seu coronatum dixere, forte et illud, quod in Heluetia circa Tugium albo circulo collum ambiente distinctum, caetera alteri simillimum reperiri Gesnerus prodidit.

CAPVT I.

De Picis ingenere.

Pica, quae Atticis κίττα, communiter κίσσα, Laconibus κεῖσσα, Hesychio et Phauorino βάσκιλλος, et κραγγών, aliis σίττα, κίσσα et ποικιλὶς dicitur.

Genus. *Genus* ipsarum unicum duntaxat agnouisse Aristoteles uidetur. Alii in *urbanas* et *syluestres* diuidunt. In nulla non regione obuiae sunt. Glandaria in Batauia rara.

Victus. *Victum* si attendas, est pamphaga. Suum alueos quandoque cibi causa petit et quosuis acrodryos fructus. Visa passerem *a* deuorasse, sed et una a cancro, quem e fluuio abreptum in arborem uicinam portauerat, collo sub forcipibus compresso, misere interemta legitur. In libidinem ualde sunt procliues.

a *Cardan. l. 7. c. 35 de variet. rer.*

Generatio. *Oua* circiter nouem parere, multos, sed imperfectos imo coecos pullos excludere *b* Aristoteles prodidit. In nidis construendis singulari utuntur artificio. Nam eum in locis spinosis figunt, terra intus oblinunt, foris in circuitu infra et supra spinis diligentissime muniunt, foramen unum (duo quibusdam placent) idque arctissimum pro introitu relinquunt. Oua uero interdum alio transferunt. Binos frequenter exstruere, ut, qui pullis insidiantur, dubios reddant, prodidere nonnulli.

b *l. 9. H. A. c. 31.*

Volatus ipsis raro altus, quem etiam alarum breuitate impeditae parum protrahunt. Saliunt et caudam more motacillae perpetuo mouerit. Κίττης κιτταβίζειν *c* Pollux scribit, sed singulis fere diebus imo horis uocem mutare et unius cuiusque animantis imitari certum. Puerili uagitum *d* expressisse quandam, alteram haedi primum ueluti a matre separati querulam uocem edidisse, mox uituli instar mugiisse, ouis more balasse, tandem ad instar pastoris, cum post pascua aues ad potum deducit, sibilasse fide digni auctores prodidere. Aliquid illi apud Plutarchum *e* ne subfuerit metuo, quae alioquin loquacissima, auditis Romae buccinatoribus obstupuit, paucos post dies quasi expergefacta omnem eam buccinatorum harmoniam summa cum admiratione expressit.

c *Onomast. l. 5. c. 14.*

d *Pausanias in Laconic.*

e *lib. de sollert. animalium.*

Infestantur ab alucone et *f* ulula. Epileptico eas conripi morbo quidam prodidere. Variae *g* quotannis cum rapae seruntur, caluescere proprium. In Augusto id fieri Gesnerus prodidit.

Affectus.

f *Arist. l. 8. H. A. c. 3.*

g *Plin. H. N. l. 10. c. 29.*

Vsus ipsarum et in *cibus* et in *medicina* aliquis. Glandariae Bononiae in foro uenduntur, sed durae carnis sunt, Athenaeus tamen Corhyin Thracum Regem adposuisse testatur. Quidam seu uino albo ad consumtionem coctas seu in olla tostas et in pollinem redactas seu destillatas oculorum hebetudini, rubori et dolori prodesse prodidere. Nonnulli uiuam in partes dissectam laborantibus articulis imponunt.

Vsus.

CA-

CAPVT. VI.

De Picis in ſpecie.

ARTICVLVS I.

De Pica Varia ſeu Caudata, Caudata Indica, Glandaria, Garrulo Argentoratenſi, Pica Marina et Perſica.

Ariſtoteles unicum duntaxat genus picarum, glandarium nempe ponit. Plinius id duplex, ſumta a pedibus differentia, facit nec de uario reticet. Nos et has et, quae ſequentur, huc pertinere credimus.

VARIAE ſeu caudatae caput, dorſum, collum, pectus, alae, femora, cauda, pedes eorumque digiti atque ungues aterrima, extremum alarum abicans, dorſum et cauda et maxima nigredine uirideſcentia, tota uentris ſuperficies candida.

Caudata INDICA, quam Aldrouandus exhibet, ex Iaponia adlata erat. *Roſtrum*, tibiae et pedes rubeſcebant. *Caput* totum et collum, quod torquis albus ambit, erant caerulea, *dorſum* et ſcapulae ferruginea. A ſuperiore roſtri parte inter utrumque oculum macula tres fere digitos longa et pollicem lata punctulis ſeu potius lineolis nigris transuerſalibus conſperſa ad dorſum uſque protendebatur. Alarum pennae ueſtitrices caſtaneae, ſed lineis nigris crasſiuſculis per longitudinem poſitis reſpargebantur, reliquae uirides erant. *Pectus* et uenter ad anum usque candeſcebant etc.

GLANDARIA Ariſtoteli μαλακοκρανὸς ſeu molliceps, recentioribus Graecis καρακάξα, aliis picata granata dicitur. Differt a uaria tum magnitudine tum maxime colore. Habet ad alarum latera transuerſales notas caeruleas, quales in nullo ferme uolucrum genere conſpicias, tam amplum oris hiatum, ut glandes integras deglutiat. *Nares* plumis albis et nigris operiuntur. *Roſtrum* aliquantulum recuruatur. *Lingua* bifida eſt. *Color* corporis uarius eſt. Nam ceruix ex rufo et caeſio mixta eſt. Vropygium candicat, dorſum palleſcit. Cauda longiuſcula eſt et duodecim pennis nigris conſtat.

GARRVLVS Argentoratenſis a garritu et loco, in quo maxime degere ſolet, nomen ſortitus eſt, ueteribus uel ignotus uel ſaltem non deſcriptus. *Caput* ipſi crasſum colore ex caeruleo et uiridi mixto, maculis per longitudinem albis, quae per totum pectus uentremque deorſum feruntur. *Roſtrum* mari duos digitos longum, crasſiuſculum, aliquantulum recuruum. *Oculi* magni, nigri. *Dorſum* a ſecunda uel tertia uertebra ad uropygium usque caſtaneum. *Alarum* color uarius. *Cauda* ſuperna parte uireſcit, infera partim uiolaceo, partim caeruleo permiſcetur. *Foemina* toto coelo a mari diuerſa eſt. *Caput*, *collum*, *pectus*, *uenter* ex caſtaneo ad leucophaeum uergunt. *Roſtrum* eſt crasſius. *Alae* prope ſcapulas caeruleae, mox ex caeruleo uirides, remiges nigrae. *Cauda* latiuſcula ex uiridi et caeruleo ad fuſcum inclinans.

PICA MARINA, quae et gaza dicitur, tota, caput, ceruicem, pedes et alarum partem ſi excipias, ſubuiridis adparet. *Roſtrum* habet robuſtum paulo, quam in picis longius. *Capitis uerticem* coloris caſtanei diluti, inferiorem eius partem ad tempora luteam. *Digitos longos*, pedes inſigniter aduncos, ſecundi ordinis alarum pennas caſtaneo dilutas.

PICA PERSICA tota fere ſubfuſca eſt, roſtrum habet breuiuſculum et albicans. Oculos albos. Alarum ſecundi ordinis pennas cum uropygio et prioribus in cauda luteas, pedes ſubcaeruleos, tabellis nigris inſignes.

NB. *De picarum generibus quibusdam exoticis uide mantiſſam. N.* 5.

ARTI-

ARTICVLVS II.

De Garrulo Bohemico Gesneri seu Ampelide Aldrouandi.

Descriptio. Aldrou. l. 12. Ornit. c. 18.

AVem, quae garrulus Bohemicus Gesnero dicitur, ampelidem a potiori uictu Aldrouandus adpellat. Magnitudine merulas exaequat. *Caput* habet quodammodo compressum, coloris ferruginei, more alaudae cristatae apice retro uergente, coloris uersus rostrum subcastanei diluti, retro subcinerei ad fuscum uergentis, terrae Vmbriae haud dissimilis insignitum. *Collum* breuiusculum, antica et postica parte nigrum, ad latera rufum, prope rostrum candidum. *Pectus* castaneum dilutum ad roseum uergens. *Dorsum* subcastaneum, prope uropygium leucophaeum. *Ventrem* totum subcinereum. Exteriores *alarum* pennas nigras maculis spectatu iucundissimis insignitas. Nam primae numero septem solidae et quodammodo cartilagineae albae sunt, appendices cinnabaris instar rubescunt, has aliae maculis luteis perornatae literam L. figura exprimentes subsequuntur sicque dispositae sunt, ut in quibusdam septem, in aliis sex, in quibusdam quinque tantum adpareant. Vltimae maculas albas habent. Cauda maris decem, foemellae duodecim pennis constat. *Interiora* si spectes, ex anatome habeto. *Intestina* in dissecta duos dodrantes longa fuisse absque reuolutionibus et anfractibus, ideo celerius faeces excernebat. *Ventriculum* in medio epatis uelut reconditum, exiguum, carnosum et duro callo obductum, tunicam in eo substantiae diuersae, uueae quoad colorem non dissimilem, durissimam et quasi cartilagineam. *Iecur* in duas partes aeque diuisum pro sua magnitudine maximum. *Lienem* exiguum, linguae humanae figura oblongiusculum. *Pericardium* duplicatum et ueluti pinguedini mersum. *Pulmones*, qui in omni fere auium genere ad medias usque costas protenduntur, colli et dorsi uertebris et costarum duntaxat superiorum principiis adhaerentes. *Asperam arteriam* in principio laxiorem et oualem, mox angustiorem, tandem latiorem iterum. *Linguam* duram et osseam et in extremo, ubi uelut alas quasdam habere et sagittam prae se ferre uidetur, bifidam et quasi in duas aciculas diuisam. *Os hyoides*, quod reliquis animantibus pro implantatione linguae datum est, ab osse occipitis ad latera foraminis, per quod spinalis medulla a capite ad dorsum transmittitur, originem suam deducere et, ubi ad radicem linguae coniungitur, acutissimum angulum efformare uidebatur. Eius medio asperae arteriae caput insertum erat. *Oculi* intus adeo magni, ut cerebri ipsius magnitudinem superare uiderentur. *Cerebrum* sphaericam referebat figuram et superiores ipsius uentriculi ad mediam regionem capitis collocabantur.

Locus. *Locum* si attendas, Bohemiae quidem peculiaris est, sed migratoria eadem. In Italiam delatae in Placentino et Mutinensi agro, ubi XL. simul capiebantur, morabantur, in Ferrariensi nullae uisebantur forte, quod terrae motum ibi futurum praesensissent. Anno MDLII. inter Moguntiam et Bingam in tanta copia adparuere, ut, qua transuolarent, ex earum umbra, ueluti nox induceretur.

Victus. *Victus* ipsis uuae, ligustri, iuniperi, cynorrhodi baccae, pineae nuclei, uuae pasae, poma, amygdala. Baccas hederae, carnem et frumentum nonnisi famelicae attingunt. *Volant* pernicissime et gregatim.

Vox. *Vox* earum erat ziziri, unde forte zinziuellae quibusdam dicuntur. Facile cicurantur.

Cibum sibi inuicem obferunt, mas foeminae, foemina mari. *Coro* saporis est in cibo gratissimi. Nec ergo uere esse pica uidetur, quam-

uis

uis iam, quia de genere non constat, inter eas repositа sit, quia linguam latam non habet nec *incendiaria* Plinii, quia nec in incendiis nascitur nec carbones adportare uisa est nec *auis Hercynia* Plinii, quia ei noctu lucere non competit, utut in Voitlandiae syluis quaedam turdi minoris magnitudine colore partim caeruleo, partim aureo, quam croceo, talis esse nec *auis noua* Plinii, quia columbo minor est. Nec denique *merops Aristotelis*, qui nec apibus insidiatur nec uermibus uescitur.

ARTICVLVS. III.

De Pica Brasilica et Rhinocerote aue.

Pica Brasilica aliis a rostri magnitudine ramphastos, hipporynchos et burynchos, aliis barbara et piperiuora dicitur. Magnitudo ipsi inter picam et merulam media. *Caput* pro corpore maiusculum et crassiusculum et atrum. *Rostrum* duos palmos longum, unum latum, serratum et, uelut e squammulis quibusdam compactum, substantiae ad instar membranae tenuissimae, osseae, splendidae, leuissimae, cauae atque aeris intus capacissimae, unde naribus carere crediderim. *Oculi* in medio capite illique maiusculi. *Collum, dorsum* atque alae nigrae. *Pectus* aureo colore cum quadam rubedine prope initium micans. *Venter* et foemora cinnabarino colore uestita. *Cauda* nigra et in extremitate insigniter rubescens.

Victitat pipere, quod auidissime deuoratum, inconcoctum et crudum adhuc eiicit. Incolae uim ea ratione piperis domitam credentes recenti illud praeferunt.

RHINOCEROS a cornu, quod in fronte gestat, ita dicitur. Occisa in ipso uolatu tum esse dicitur, cum Turcas Christiani ad Naupactum superarent. Caput erat duorum propemodum dodrantum, cirris nigris, altis deorsum spectantibus ornatum. Rostrum quatuor fere dodrantes longum, initar arcus cuiuspiam recuruum. Inferior pars tota ex luteo albicabat, supina uersus caput colore miniaceo, reliquum ex luteo albescat. Cornu e fronte enascebatur et supinae rostri parti adhaerebat, prope frontem palmum unum latum, in fine recuruum, colore supera et infera parte miniaceo, media luteo etc. Fit talium auium apud ueteres mentio. Nam et Hesychius rhinocerotem auem in Aethiopia reperiri scribit et *tragopanda* Plinii aquila maior, capite phoeniceo, cornibus in temporibus insignitur et *tragopa* Golini in capite arietinis cornibus armatur et Pomponius Mela eiusmodi aues *tragopanades* adpellat. Et Cardanus auis meminit aquila maioris ex luteo et rubro splendidae, ex cuius rostro suluo caeruleoque capuli parentur *Salig. Exerc. 231. s. 3.*

CAPVT. VII.

De Loxia.

Descriptio. LOXIA seu corui rostra, tragon Plinii Roberto Constantino esse uidetur, ignota sine dubio Aristoteli. Magnitudine parum maximum uincit. Rostrum habet contra omnium auium morem ab utraque parte recuruum, crassum et admodum robustum. Vnde ipsi nomen est. Colorem singulis annis hyeme inprimis mutat ita, ut nunc ad uiridem, flauum, nunc ad rubrum et cinereum uergat. Rubere primum solet pectore, collo et uentre, deinde flauescere. In uertice, ceruice et circa oculos caeruleus adparet, in cauda et extremis alis nigricans, crura rubicunda.

Plurima Germaniae *loca* incolit, in Italia rarius uidetur. *Locus.*

Victitat seminibus cannabis, nucleis abietum et, ut quidam produnt, cadaueribus. Voracissima autem est. *Victus.*

Generatio. *Nidificat* in abietibus et uerisimile est, a cauda de ouo exire seu, quod, si reliquarum more prodiret, exitus a rostri curuitate impediretur seu, quod, cum media hyeme nascatur, subinde ab ambientis inclementia calor animalis suffocaretur. Hyemali tempore *cantat* et quidem suauiter, in aestate abstinet. Caueis incluſa psittacorum more sursum atque deorsum reptitat. A potu pocillum rostro, si potest, abiicit imaginem forte suam in aqua conspicata.

TITVLVS VII.

De Noctuis.

CAPVT PRIMVM.

De Bubone.

Aldrou. l. 8. c. 1. Absoluta auium diurnarum carniuorarum historia, ad nocturnas deflectendum est. Hae uero ob caesios oculos γλαυκῶπαι dicuntur et magnitudine inter se differunt. Oculos magnos amplos et caesios habent. Non solum in tenebricosis montium et rupium cauernis, sed et in cauis arboribus, desertis aedificiis domorum, templorum et turrium tectis latent. Inter duo denique crepuscula *a* (de nocte parum aut nihil uident, de die excedens sensibile sensum laedit) lacertas, scarabeos, apes, uespas, mures, hirundines, interdum lepusculos et cuniculos rapiunt. Numerantur autem inter rapaces nocturnas *bubo*, *asio siue otus*, *scops*, *aluco*, *ulula*, *noctua*, *strix*, *caprimulgus*.

a *Arist. l. 9 H. A. c. 34.*

BVBO, qui Graecis βύας, βύταλος, σκλὼψ, βύφος, Goropio Becano cum Aristotelis cyminde, chalcide, hybride et ptynge idem: Aristoteli forte ascalaphos omnium nocturnarum est maximus *b* nec aquila minor. *Corpus* ipsi breue et propter caudae breuitatem, ueluti decurtatum. Corporis tegmen plumeum ferrugineo seu obscuro quodam aeris colore est. Maculis nigris sparsim et incerto ordine respergitur. *Caput* habet adeo grande, ut ob eius magnitudinem pullus a cauda primum in lucem † prodire credatur, frontem orbiculatam seu teretem plumis, uelut auribus eminentibus in regionibus, prout in oto insignitam. Cauernas ad auditum patulas hocce pennarum ornamento ob magnitudinem tectas. Oculos maximos et, qui igneo splendore, ingenti magnitudine et truci obtutu terrorem adspectantibus incutiunt. *Rostrum* aduncum. Collum pro sua magnitudine perbreue. Vngues aquilinis maiores, crura breuia. Cuius *c* Gesnerus iconem exhibet, magnitudine anserem uincebat. Alas habebat ad tres dodrantes longas. Caput magnitudine et forma felinum. Pennae supra utramque aurem nigricantes et tres digitos subrigebantur. Cuius Aldrouandus *d* in multis ab illo differebat. Nam huic quidem etiam ad extremos usque digitos crura, sed breuiora, graciliora nec ita supra genu torosa. Color ei erat per totum corpus ex cinereo ferrugineus in pectore potissimum, ubi etiam sub nigris maculis per longum ductis promiscue respersus erat. Dorsum et alae e ferrugineo magis succesebant. Et cum ille Gesneri in singulis totius corporis plumis magis uariegatus et tenuibus quibusdam lineolis transuersim ductis accipitrum et anatum instar minutim distinctus fuerit et uniuerso corpore, magis uero dorso et capite maculas quasdam incerti ductus lituris nigris, crassis et quodammodo figuratis gesserit: hic in alarum pennis maioribus et cauda lineis subnigris, transuersis, largiusculis distinguebatur, quae ita efformatae in cauda praesertim fuere, ut singulae latiores superne et inferne instar fimbriarum triplici ordine dispositae aliis subtilioribus clauderentur.

b *Arist. l. 8. H. A. c. 3. Strabo Geogr. l.*

† *Plin. l. 10. H. N. c. 16.*

c *Gesner. in Ornith.*

d *Aldrou. Ornith. l. 8. c. 2.*

Lo-